

Vita s. Moderanni

Ex Redonensi episcopo primi Abbatis Bercetensis in Italia.

Prodit cura et opera R. P. Domni Francisci Bedae Plaine, Monachi Congregationis Gallicae O. S. B.

Praefatio.

Inter numerosos episcopos, qui seculorum decursu monachalem Praesulatus honoribus ob Christi amorem praetulerunt humilitatem, egregium octavo seculo obtinet locum Moderannus primo Episcopus Redonensis in Britannia minori, postea fundator et primus Abbas S. Remigii Bercetensis in agro Parmensi.

Porro hujus sancti Vita, licet antiquitus scripta, incognita tamen hucusque remansit, neque a Mabillonio, neque recentius a Bollandianis sociis, et a quodam eruditissimo historico Redonensi detegi potuit.¹⁾

Eam vero feliciter assecuti sumus ex antiquo Breviario Redonensi,²⁾ ubi proh dolor! non adest omni numero integra sed nihilominus sat extensa ut plura referat et praeclara de Sancto Moderanno, quae hucusque in oblivione manebant. Unde eam, sicuti est, publici juris facere ad profectum rerum hagiographicarum et historicarum operae pretium duximus.

Antea vero inquirendum est quo tempore et a quo scripta fuerit Vita s. Moderanni ut exinde pateat quanta fide digna sit et auctoritate. Porro indubie pro auctore habet quemdam Parmensem seu Bercetensem anonymum revera sed pium, litteris versatum, atque haud ignarum traditionum et monumentorum localium;³⁾ nec coevus vero erat, nec etiam suppar iste anonymus, siquidem solummodo vivebat tempore primae cruciatae et post recuperationem civitatis Jerusalem a Christianis factam sub B. Urbano secundo (1198), ut conjicitur ex ejus relatione (partim erronea) de peregrinationibus sacris a patre s. Moderanni susceptis.⁴⁾ Quid vero mirandum si quando agitur de rebus apud Redonenses peractis, falsa veris post tot secula miscuerit noster anonymus, qui nihil cum Armoricanis commune habebat? Verum quoad gesta Bercetensia, nihil nisi certum et ex authenticis documentis

1) Mabillon: Acta SS. O. S. Benedicti, t. 3, p. 486 sqq. it. Acta SS. Bollandianorum t. IX oct., die 22. oct. et P. Delabigne-Villeneuve: Mélanges d'Archéol. et d'Histoire t. 2, p. 1—8.

2) V. Breviarium Redonense Parisiis anno 1514 impressum, die 16. maii, et 22. octobris. Rarissimum est istud Breviarium, cujus unicum novimus exemplar, scilicet Solesmense, quo utimur.

3) Cf. Vitae s. Moderanni n. 10—13, etc.

4) Ibid. n. 2, 3 et 4.

mutuatam, asserit. In cujus rei probationem animadvertendum est quod ex hac descriptione fere de verbo ad verbum desumptae fuerint a priscis temporibus non solum lectiones Vigiliarum nocturnarum cum antiphonis et Responsoriis, sed etiam hymni et sequentia officii ejusdem Sancti liturgici tum apud Bercetenses tum apud Redonenses.¹⁾ Nam ut patet, ista res non habuisset locum, nisi scriptio, de qua agitur, omni fide ab antiquo digna fuisset iudicata.

Hinc erronea censenda sunt, quae a Mabillonio et sociis Bollandianis in contrarium nostri biographi allata sunt post Flodoardum, qui origine Gallus imperfecte noverat res gestas Bercetensium.

Ita primo falsa est assertio juxta quam ante dies Moderanni erectum fuisse affirmatur monasterium Bercetense et positum primitus sub invocatione s. Abundii Martyris, nam juxta nostrum anonymum, ab ipso Moderanno et pro prima vice conditum fuit cum licentia et privilegiis pii regis Longobardorum Luitprandi ac in honore S. Remigii Rementis dictum monasterium Bercetense.²⁾ In qua re concordat dictus anonymus cum Paulo Diacono, coaevo historico, qui liquido vocat Luitprandum conditorem hujus monasterii.³⁾

Item 2^o, in errore versantur iidem scriptores, qui mortem Moderanni annis 718—735 ascribunt, siquidem teste adhuc sancti biographo primus abbas Bercetensis supremum non obiit diem nisi pluribus annis post dicti Regis Luitprandi mortem, quae in anno 744 contigit.⁴⁾

Aliunde Bercetense Monasterium nomen Remigii pro nomine Moderanni postea commutavit prae sanctitatis et miraculorum fama sui fundatoris. Exeunte vero decimo seculo idem, post clades multas e manibus monachorum s. Benedicti in potestatem canonicorum secularium devenit,⁵⁾ sed incolae ejus et locorum circumvicinorum habitatores Moderanni merita venerari, ejusque patrocinium pie implorare non usque hodie dum destiterunt.⁶⁾

1) Istud vero officium apud Bercetenses et pro Bercetensibus compositum fuisse, clare patet 1^o ex hymno ubi legitur:

Gaude, Berceti regio
Sancti corpus in oppido
Habens etc.

2^o. ex collecta ubi petitur protectio s. Moderanni his verbis „cujus Sanctissimum corpus pio amore venerabiliter amplectimur.“ Alia similia afferri possent sed supersedemus.

2) Vita s. Moderanni, n. 14 et 15.

3) Historia Longobardorum, V, c. 58.

4) Vita s. Moderanni, n. 15.

5) Ughelli: Italia Sacra t. 2, p. 150.

6) Hagiolog. Italicum, t. 2, p. 150.

Item fideliter perseverat ejus memoria apud Rhedonenses, qui recenter, in anno 1845 agente eorum episcopo postea Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae Godefrido Brossais — jam defuncto — portionem quamdam Moderanni sacrarum reliquiarum a Parmensi Praesule obtinuerunt, ejusque natale colunt sub ritu festi duplicis majoris. Ante vero perturbationem gallicam exeuntis decimi octavi seculi duplici festo Redonis gaudebat s. Moderannus, scilicet natali (22. octobris) et translatione (16. maii). Insuper erat patronus in dioecesi cujusdam Prioratus in ipsa civitate episcopali, et plurium capellarum.

* * *

Vita s. Moderanni.

1. Patria et parentes Moderanni.¹⁾

Gloriosus confessor Domini Moderannus, Redonensis primo civitatis Episcopus, subsequenter Pater et Abbas monasterii, quod construxit in Berceto sub cacumine Montis Bardonis in Italiae partibus in honorem Confessoris Christi Remigii, suo episcopatu divinitus renunciaturus.²⁾ Natione fuit Britannicus temporibus Childeberti, Regis Francorum,³⁾ ex nobilibus de Tornacis comitibus procreatus.⁴⁾ Nam pater ejus comes fuit nominatissimus et tam citra quam ultra mare miles et pugil probatissimus nomine Theobaldus. Hic enim cum de nobilissima uxore sua filium procreasset, ex spiritu prophetico nomen illi Moderannus⁵⁾ imponi constituit, ipsius moderantiam in eo futuram considerans clarescendam.

2. Pater ejus Terrae Sanctae peregrinus.⁶⁾

Et antequam ipsius uxor peperisset, terram sanctam visitare disponens eidem uxori valefacit et suis, et sic ultra mare profectus est. Qui comes Theobaldus ad fidem Domini nostri Jesu Christi

¹⁾ Partitiones numericae cum earum titulis desunt in Breviario Redonensi.

²⁾ In Breviario dicitur erronee: renunciaturus.

³⁾ De Childeberto tertio agitur, qui regnavit ab anno 695 ad annum 711, indicatur vero tempus Praesulatus, non nativitatis, quae contigisse debuit circa annos 670—680.

⁴⁾ Qui sunt hi Tornacenses comites? Quaestio valde implexa est. Aliqui eruditi cogitant de Tornacensi familia apud Pictones, alii de Tornacensi civitate in Belgio, sed erronee, ut clare eruitur ex uno ex Responsoriis, ubi legitur expresse: „Sanctus Praesul Moderannus a Theobaldo comite, carnis cepit originem ex Redonensi progenie.“ Porro Torniacum (vulgo Thorigne), viculus est duabus solummodo leucis a Redonensi castro remotum. (V. Preuv. de Bret. t. 1, c. 826.)

⁵⁾ Moderannus, per litteram *m* scribebant Itali Redonenses vero per duplex *n*, quem morem sequimur.

⁶⁾ Hic adest certe error et confusio seculum octavum inter et tempora cruciatae sed unde nasci potuit talis error, nescimus, nisi forsan ex bellis contra Frisones, Sarracenos seu alios christiani nominis hostes, in quibus magnas partes habere potuit pater s. Moderanni.

dilatandam, et terram sanctam de manibus Sarracenorum recuperandam in tantum est probatus, et cuidam regi Christiano sub quo militabat, ita carissimus effectus est ut ipsum prae caeteris honoraret et secum de caetero maneret.¹⁾

3. Primi anni Moderanni.

Interim puer Domini Moderannus in absentia patris nascitur et sub cura honestissimae matris suae crevit, et ad quartum vel ad quintum aetatis suae annum prospere pervenit.

4. Puer patrem in somnio ab adulterio removet.

Quo tempore pater suus, cum de reversione apud praedictum regem pertractaret, rex ipse nullo modo consentire voluit: sed, ut magis secum detinere posset, obsequiis ac promissionibus a se, ut non discederet, procuravit. Cumque praefatus Theobaldus ex conjugē reminisceretur et apud regem licentiam expeteret sollicitus revertendi, rex praefatus hoc concedere noluit, sed aliam uxorem in illis partibus illi dare decrevit. Noctem vero desponsationem praecedentem totam pene duxit (Theobaldus) insomnem, revolvens in corde suo uxoris suae caritatem et affectum, et tam horribile peccatum committere adulterium. Tandem cum sopori aliquantulum se dedisset, audivit vocem sui dilectissimi filii Moderanni in sua civitate Redonensi existentis: »Quid est quod assentire vis, pater mi? Relinquis talem uxorem matrem meam, quae in tua absentia sic honeste permansit. Noli, pater, facere talia, noli hoc scelus committere offendendo Deum.«

5. Nuncius Redonas mittitur a Rege.

Ad hanc vocem expergefactus Theobaldus, cuncta quae a filio audierat, regi per ordinem narravit. Rex vero arbitratus quod comes Theobaldus talia a se finxisset, ut illud matrimonium imo potius adulterium evitaret, nuncium in forma peregrini ad praedicti comitis civitatem transmittit, ut rei veritatem sciret. Nuncius autem ad praedictam civitatem Redonensem pervenit. Tandem inventa domo praefati comitis Theobaldi, viventibus uxore ipsius et filio; inventa omni veritate, ut praedictus comes narraverat, regi antedicto reversus est ultra mare, et cuncta per ordinem regi narravit et comiti, et tunc laeti efficiuntur.

6. Pater redux sub veste peregrini a filio detegitur.

Cumque prius ipse (comes Theobaldus) vellet scire statum uxoris et filii, antequam se revelaret eisdem, in forma peregrini ad domum uxoris eleemosynas petiit. Et statim puer Domini Moderannus ad matris imperium ignotum patrem introduxit, et

¹⁾ Id est, manere praeciperet.

sibi caritative ad mensam suam, ut erat solitus pauperibus ministravit, et patrem suum esse cognovit; quem nunquam viderat cum in recessu patris adhuc in utero matris esset. Et exclamavit ad matrem, »mater mea, mater mea, iste peregrinus est pater meus.« ¹⁾

7. Moderannus Praesul constituitur Redonensis.

Beatus igitur Moderannus de virtute in virtutem proficiens, in dicta sua civitate Redonensi Episcopus meruit ordinari. Qui cum in eodem pontificali gradu vitam laudabilem exerceret, et jam sanctus ab omnibus haberetur, hoc semper usus est proprio ut Sanctorum loca et eorum reliquias maxima cum reverentia veneraretur.

8. Peregrinatur ad limina Apostolorum.

Nam ex immenso affectu Principum Apostolorum limina in forma peregrini voluit visitare et secum deferre Sanctissimi Confessoris Remigii pretiosas reliquias. Quapropter ad monasterium, in quo ejusdem corpus est tumulatum, accessit ac a monachis liberalissime susceptus, petiit a Bernardo sacri scrinii custode, et obtinuit particulam de stola, et cilicio atque sudario ejusdem confessoris Christi Remigii. ²⁾ Quas in capsam argenteam ornatam auro et gemmis pretiosis recondens atque cum baculo ut peregrinorum mos est proficisci coepit.

9. Sedet ad Bardoni montem cum reliquiis S. Remigii.

Cumque Beatus Moderannus cum decenti comitiva ad summitatem Bardoni montis in Italia dioecesis et civitatis Parmensis feliciter pervenisset, quem locum seu castrum Berceti denominavit. Ad radicem cujus montis, ubi dictum castrum et burgum per ipsum Sanctum postea constructum est, ³⁾ sub quadam ilice sive quercu prope abundantissimum fontem, quem ibi Deus mirabiliter ad ipsius Moderanni preces produxit, oportuit hospitari.

¹⁾ Hic adest lugenda lacuna, quae complectens primos annos et Moderanni adolescentiam non similiter inveniebatur apud Biographum anonymum ut eruitur ex quarto Responsorio, ubi dicitur. „Puer ab his educatur atque plene informatur ad Dei obsequium.“

²⁾ Idem et concorditer refert Flodoardus (Histor. Eccles. Remensis, 1, 20).

³⁾ Hinc clare eruitur nec monasterium nec burgum Bercetense existisse ante Moderanni tempora, quiddid in contrarium post Flodoardum (loco citato) asseruerint hagiographi et Historici. In hoc loco tunc temporis solummodo erectum fuerat parvum oratorium in honorem s. Abundii martyris. (Vide inferius n. 12.)

Qui quidem locus sive vallis circumposita rippa sancta dicitur usque in hodiernum diem.¹⁾

10. Clarent miraculis reliquiae S. Remigii.

Secundum quoque miraculum ibi Dominus dignatus est ostendere per suum servum. Nam cum mane proficisceretur versus Romam, oblitis reliquiis in ilice nutu divino, et jam ascenderet in montem Bardonum praedictum, illico clericus ad locum perveniens²⁾ nullo potuit ingenio praedictas reliquias contingere. Volabant enim ut aves volant, et de ramo in ramum visibiliter saliebant. Et sic nec clericus nec praedictus Moderannus reversus saltem tangere valuerunt. Quapropter jussit ibi fieri tentorium ubi nocte sequenti similiter requievit.

11. Duo verba de oratorio S. Abundii.

Erat autem non longe ab eadem arbore ecclesia parva in honore S. Abundii martyris constructa, ubi Sancti Abundii corpus post multum tempus est translatum, et in eadem ecclesia dilatata venerabiliter collocatum.³⁾

12. Moderannus Berceti sedet.

Beatus autem Moderannus, dum e Roma remearet et Dei nutu altiora itinera desuper loco Berceti teneret, et intra confinia Berceti esset locus, qui appellabatur Rippa sancta, et Costa Christicola omnes equi intumescere coeperunt, et fixis gressibus de dicto loco discedere non valuerunt. Praeterea sessorum omnium oculi ita caligare coeperunt quod videre non possent. Tunc recordatus est Beatus Moderannus laudabilis propositi sui, quod fecerat eundo, de permanendo se in eodem loco. Quare descendit ad praedictam ecclesiolam S. Abundii martyris et dictum propositum firmans, Deo et ipsi martyri immensas gratias retulit.

13. Cedit episcopatui et monasterium Bercetense condit.

Tunc sospitate equis et sessoribus reddita ad suas partes Britannicas pervenit, et dicto suo episcopatui Redonensis civitatis

¹⁾ Eadem sic referuntur paulo fusius in uno Responsorio.

„Novus Berceti incola
Novum produxit rivulum
Dum ter ferit Deicola
Rippae Sanctae colliculum.“

²⁾ Hic etiam aliquot verba deesse videntur, quae suppleri possunt ex Flodoardo sic eadem referente. „Moderannus ascendens montem, relictarum fit memor reliquiarum, svum statim ad has recipiendas dirigit clericum nomine Wulfedum. Quo ad eas perveniente nullo valet eas ingenio contingere dum mirabili signo, ut eas attingere vellet, elevarentur in sublime.“ Hist. Remensis, 1, 20.

³⁾ Haec translatio e Fulgino Bercetum habuit locum in annis 845—850. Vita n. 19, item Acta SS. O. S. Benedicti (loco citato).

renunciatis ac venditis suis bonis patrimonialibus, et pauperibus dispersis, liber a cunctis oneribus hujus vallis mundi miseriae, sicut pastor in monte Bardone cum magna comitiva libertinorum et aliorum suorum fidelium transmigravit, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi septingentesimo decimo nono.

Hic adest nova lacuna. cui aliquo modo subveniendum est ex Paulo diacono et ex Responsoriis officii liturgici.

14. Luitprandus Rex monasterio Bercetensi favet.

Gloriosissimus rex Luitprandus multas in Christi honore per singula loca, ubi degere solebat, ecclesias construxit . . . In summo Bardonis alpe monasterium, quod Bercetum dicitur, aedificavit. (Ex libro V. c. 58 historiae Longobardorum.)

* * *
Largitur rex Berceti
Confinia
Quae in sancti Remigii
Praesul vertit memoria
Rex mortuus¹⁾
Surgit de lectulo
Vocatus
Obedit continuo
Confirmans privilegia. (Responsor. septimum.)

* * *
O Visitator Principum
In peregrini forma, —
Inhabitor collium
In monachali forma,
Servos tuos eximens
Sed Deo eos suscipiens
In regulari schola. (Antiph. ad Benedictus.)

15. Pretiosa mors Moderanni.

Moderannus dissolvitur
Et sepulturae traditur
Suo perfecto opere
In ara qua libaverat
Et Christo servierat
Dextro locatur latere. (Resp. Octavum.)

¹⁾ Hic alluditur cuidam miraculo, cujus mentio deest apud historicos, sed ex quo eruitur Moderannum Luitprando regi supervixisse ut dictum est supra.

16. Sepelitur Berceti.

Beatus Moderannus, civitatis Redonensis Episcopus, cujus origo et opera admiranda in suo transitu¹⁾ plenius recitantur, dum ipsius anima per Angelos fuisset translata in coelis, corpus tamen ejus venerabiliter collocatum fuit in terris. Nam tantus thesaurus positus fuit ad laevam altaris ecclesiae suae, quam ampliaverat ad honorem Dei et sancti confessorio ejus Remigii in solo Berceti, et ibi permansit quoadusque Deus mirabiliter revelare dignatus est collegae suo Tiberio praefati monasterii et ecclesiae Abbati.²⁾

17. Cogitat Tiberius de transferendo corpore Sancti.

Qui praedictus Tiberius, cum eandem ecclesiam in honorem et memoriam Sancti Moderanni, aliquantulum in longum produxisset, placuit sibi ut sub altari ejusdem basilicae locum praepararet, in quo praedictum corpus venerabiliter collocaret, sed non prius tanti viri ossa mutanda, praedictus abbas dignum statuit quam hoc precibus a Domino peteret utrum deberet fieri an non. Assumptis igitur secum religiosis fratribus, jejuniis et orationibus indictis, coeperunt voluntatem Dei et praedicti famuli Christi Moderanni orando perquirere.

18. Apparet Moderannus.

Tertia autem nocte jam fatigato Patre monasterii et ex jejuniis et ex orationibus lasso, cum ad ostia ecclesiae, pro re quam quaerebat excubaret, apparuit ei niveis indutus vestibus ab ecclesia egrediens vir senex, qui mox eundem abbatem sic coepit increpare:

»Quid est, frater, quod me cum tanto labore quaeris? Cur me non sinis quiescere?« Cui abbas respondit: »Quis es tu, Domine, qui mihi talia tristibus verbis loqueris?« »Ego sum, inquit, Moderannus, quem tu quaeris.« Et abbas respondit: »Volebam, domine, corpus tuum in locum, quem paravi tibi, transferre et debito tibi honore obsequium praestare ut apud Dominum pro meis reatibus pius intercessor existeres.« Tunc ait illi Beatus Moderannus: »Bona quidem est, o frater, in te voluntas; sed scito illum locum non mihi esse concessum; Abundio autem martyri dabitur sarcophagus, quem pio amore parasti:

¹⁾ Quae praecedunt, pro lectionibus in Natali S. Moderanni usui erant: quae vero sequuntur, in ejusdem translationis festo similiter inserviebant.

²⁾ Tiberius collega seu potius successor s. Moderanni Bercetense monasterium regebat circa annos 840—860 ex actis s. Abundii Martyris. (Acta SS. O. S. Bened. t. 3, p. 487.)

nam me urna propria dormientem servabit. Et his dictis disparuit.¹⁾

Et abbas a somno consurgens corpus Sancti Moderanni in eodem loco dimisit secundum quod Sanctus Moderannus eidem apparens manifestavit.

19. Castigatur miles, qui Moderanni rapuerat digitum.²⁾

Processu vero temporis post praedictam visionem, cum sanctissimum corpus Beati Moderanni de loco praedicto in alium transferretur ipsius Ecclesiae Parmensis praesente Episcopo cum comitatu Magnatorum Parmensium, unus illorum miles secrete et latenter unum de digitis sanctissimi Patris Moderanni accepit et in sinu suo quam citius occultavit. Facta autem locatione tanti thesauri, cum praedictus Praesul cum comitiva ad civitatem reverteretur, subito miles praedictus, qui digitum habebat in sinu absconditum, patenter ardere et ex ipso sinu, in quo digitus latebat, ignis et flamma exire coepit. Qui cum pavens et tremens ad imperium ipsius Episcopi cuncta per ordinem, quae de sancti Moderanni digito fecerat, patefecisset, illico votum vovit quod in civitate Parmensi ecclesiam in honore sanctissimi confessoris Episcopi fabricaret.

20. Sanatus miles votum adimplet.

Miraculum autem miraculo adjungitur protinus; cum miles votum emisisset, totus ignis extinctus est. Universi cum gaudio ad civitatem pervenerunt. Qui, paulo tempore post haec elapso, antedictus miles ecclesiam fabricare fecit et altare, quod praedictus Episcopus in honore Sancti Moderanni Confessoris et Episcopi consecravit et praedictum digitum cum aliis quam pluribus reliquiis Sanctorum honorifice collocavit.

Caetera desiderantur.

¹⁾ Numeri 17 et 18 inveniuntur de verbo ad verbum in actis s. Abundii. Sic idem refertur in uno Responsorio:

Sanctus Sancto Tiberius
Successit in regimine
Moderanni consocius;
Urnam novam hic praeparat
Quam Moderannus habeat
Sed fruitur Abundius.

²⁾ Idem miraculum narratur in uno ex Responsoriis, sed quo tempore contigit, ignoratur.

Geschichte der ehemaligen unmittelbaren Reichs- Abtei Zwiefalten O. S. B. in Schwaben.

Aus den Quellen dargestellt von Dr. Carl Holzherr.

Vorwort.

Zu den bedeutendsten geistlichen Stiften des ehemaligen deutschen Reiches zählte die unmittelbare Reichs- und Benedictiner-Abtei Zwiefalten, im Oberamt Münsingen des jetzigen Königreiches Württemberg. Dieselbe liegt in einem schönen Thale der schwäbischen Alb, unweit der Donau, 1 Stunde von der Station Zwiefaltendorf an der Eisenbahn von Sigmaringen nach Ulm. Einst gehörte das Kloster zum Bisthum Constanz und zu der Mainzer oder Melker Provinz der Bursfelder Benedictiner-Congregation und war ehemals eine Pflanzstätte der materiellen und geistigen Cultur, aus welcher Jahrhunderte lang segensreiche Einwirkungen auf weite Kreise hervorgegangen sind. Es zeichnete sich im Allgemeinen durch gewissenhafte Befolgung der Ordensregel, durch Zucht und Ordnung auch in den schwierigsten Zeiten vor vielen anderen Klöstern aus; die Wissenschaften und die Künste im Dienste der Religion wurden hier eifrig gepflegt und die Schule des Klosters selbst und der von ihm geleiteten höheren Studienanstalt in Ehingen a. d. Donau stand in gutem Rufe. Auch übte das Kloster in den ihm zugehörigen zehn Pfarreien eine sehr ausgedehnte Seelsorge aus. Ueber die Unterthanen seines bedeutenden Gebietes führte dasselbe eine milde, für deren Wohl fürsorgliche Regierung und bethätigte immer und besonders in Zeiten der Noth eine grossartige Wohlthätigkeit. Aus diesem Stifte, als aus einer Pflanzschule der Regelzucht und der klösterlichen Tugenden, wurden zu allen Zeiten seines Bestehens viele Aehte, Prioren und Mönche in andere Benedictinerklöster Deutschlands, der Schweiz und selbst nach Böhmen (Kladrau) berufen zur Reformation der verfallenen Ordnung und Zucht. Jetzt nach der Aufhebung des Klosters bei der Säcularisation 1803 sind die schönen Klostergebäude zum Landesirrenhaus umgewandelt, in welchem mehrere Hunderte von Unglücklichen in geistiger Umnachtung ihr trauriges Leben zubringen.

Während nun fast alle bedeutenderen Klöster Schwabens ihre litterarische Bearbeitung gefunden haben, ist die Geschichte Zwiefaltens bis jetzt vernachlässigt und seit den Annalen des P. Arsenius Sulger, welche mit 1692 abschliessen, ist, ausser einigen kleineren Schriften und Aufsätzen, welche ganz specielle Partien behandeln, über die Geschichte des Klosters im Ganzen nichts veröffentlicht worden. Diesem Mangel, soweit es die vorhandenen und zugänglichen Quellen ermöglichten, einigermassen abzuhelfen und dem bisher vernachlässigten Kloster die verdiente Würdigung, insbesondere seiner Verdienste um Schule, Wissenschaft

und Kunst, überhaupt in culturhistorischer Hinsicht, widerfahren zu lassen, ist die Absicht und der Zweck der vorliegenden litterarischen Arbeit. Zugleich soll dieselbe auch ein bescheidener Beitrag sein zur künftigen 800jährigen Jubiläumsfeier der Stiftung des Klosters, welches durch die Grafen von Achalm und den seligen Wilhelm, Abt von Hirsau, 1089 ins Leben gerufen worden ist.

Heidelberg.

Der Verfasser.

* * *

I. Quellen und Hilfsschriften.

1. Handschriften.

Ortlieb, einer der ersten Mönche des neugestifteten Klosters Zwiefalten, schrieb 1135 »De fundatione M. Zwivildensis libri II.« Das erste Buch handelt von der Gründung des Klosters und seinen frühesten Zuständen; das II., unvollendete, von dessen Reliquienschatze und erster Ausstattung mit Gütern. Ortlieb starb als Abt des Benedictinerklosters Neresheim a. 1163.¹⁾

Gleichzeitig mit Ortlieb lebte im Kloster Zwiefalten der Mönch Berthold von Grüningen (O. A. Riedlingen), welcher schon als Kind dahingebbracht und in dem Brande 1098 wie durch ein Wunder gerettet worden war. Er schrieb 1137 als Fortsetzung der Schrift Ortliebs ein »Liber de origine et incremento M. Zwivildensis.«²⁾ Nachdem er dreimal die Würde des Abtes im Kloster Zwiefalten bekleidet hatte, starb er daselbst den 21. Mai 1169.

Zwei alte Chroniken, *annales majores et minores*, setzen die Klostersgeschichte weiter fort. Die kleinere, von Christi Geburt ausholend, geht bis 1221; die grössere ist bis 1503 fortgeführt.³⁾

Zu diesen kommen zwei Necrologien. Die eine, »Capitulare«⁴⁾ bezeichnet, und in der vorhingenannten grösseren Chronik (bis 1503) mitenthaltend, reicht bis 1689; die andere, vom Abt Reinhard (1232—1234) verfasst, geht bis 1232.⁵⁾ Beide Nekrologien sind wichtig durch die Angabe der Wohlthäter, deren Familien und Verwandtschafts-Verhältnisse.

Eine vollständige und genaue Ausgabe dieser ältesten Quellen für die Geschichte des Klosters ist von Otto Abel in den *Monumenta Germaniae* von Pertz, tom. XII, script. X, Ortliebs von p. 64—92, Bertholds von 92—124, der *annales minores et majores* mit dem *Capitulare* von p. 51—64⁶⁾ geliefert worden.

Die in der kgl. öffentlichen Bibliothek und im Staatsarchiv zu Stuttgart vorhandenen handschriftlichen Quellen sind (nach der Beschreibung des Königreichs Württemberg vom statistischen